

9.
LIBER DE CVM
DISPENSANDI IVRE
IN AVANTIA ET TIS

IN LIBRARIANAE
CONVENTUS ET LIBRARIAS IMPERICIAE
PRASSIS
MAINTENANDA PRO RECTORIS
IVSTI HESKINGI BOHEMIORUM IC
DE CVM DISPENSANDI IVRE
IN AVANTIA ET TIS
CUM LIBRARIIS
IN LIBRARIIS
DE CVM DISPENSANDI IVRE
IN AVANTIA ET TIS

6. 1782
Q. D. B. V.
10

DISSERTATIO MEDICA,
DE

FEBRE MILIARI

QVAE

Der Sriesel /
Dicitur;

9

QVAM
DEO PROPITIO

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
EX CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE,

PRAESIDE
DN. JOHANNE CHRISTOPHORO
DEUTSCHBEIN,

MEDICINAE DOCT. ET PRACTICO,
PATRONO AC HOSPITE SUO AETERNUM COLEND.

PLACIDO PHILATRORUM

EXAMINI SUBMITTIT,

GUSTAVUS BERNHARDUS VOLAND,
GREUSSEN A THUR.

AD DIEM SEPT. A. O. R. MDCCXXII.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

LIBRI MII TARI

SACRA MUSICA

IN VOCALIUM RITIDECTIONE
PER LUDVICO EUGENIO VITTELLIUS

PRAESTIDE

JOHANNI CHRISTOPHORO

BENTZIGERI

MUSICO ET SOCETATRAGICIS
MUSICO ET SOCETATRAGICIS

ET ACTORI PRACTICIS
ET ACTORI PRACTICIS

GRATIAS PHRINHEDIS VOLVENDI

GRATIAS PHRINHEDIS VOLVENDI

GRATIAS PHRINHEDIS VOLVENDI



PROOEMIUM.



Atendum sane, Principes
superiorum Seculorum Medicos summa semper in procuran-
do Posteritatis commodo, sedulo
eo insudasse, ut Casu obser-
vatos quotidiano corporis hu-
mani Affectus, non sibi servar-
rent, sed literis publicis humano generi traderent. Ita,
ut manu quasi ductione, ipsorum genera morborum
cognosci, (& quantum per Deum, & artem licet,
curari possent,) sed optabile esset! ut omnia medi-
cina præstare posset. Ut vero morborum incurabi-
lum curam Medicus non suscipiat, Ita suadente Hipp.
L. de arte num. 4. Medicina est morbos ab aegris in
totum tollere, & morborum veherentes impetus
obtundere, & eorum qui à morbis vici sunt cura-
tionem non aggredi, quum id in confesso sit, quod
medicina tales sanare non possit. Confirmat Celsius
Lib. 5. c. 26. Est prudentis hominis primum eum qui

A 2

ser-

servari non potest, non attingere, ac eo magis absti-
 nere, nec subire speciem ejus ut occisi quem fors ipsius
 peremit. Morbi autem in triplici sunt classe, leves,
 quos natura sanat, Galen. i. de Loco i. c. i. Medio-
 cres qui à Medico tractandi, ne in lethales abeant; Hi
 vel acuti, qui brevi interimunt; Quia acutie vel ma-
 lignitate naturam superant. Quando autem mor-
 bus prævalet nullus remedio locus. Vel Chronici qui
 si diu perseverent, fere desperati sunt & suæ na-
 tura immedicabiles. Et notatu dignæ sunt disserta-
 tiones Consultissimi Decani D. D. Alberti, quæ agunt
 de abstinencia à medicis & medicamentis, & medico-
 rum ab ægrotis &c. Nam Medicus talibus corruptis
 & intricatis morbis suis promissionibus aliaque minus
 fundata spe: nec non speciosis interdum medicamen-
 tis, arcanis, tincturis, essentis, panaceis, balsamis,
 parum nonnunquam utilitis assert: Quæso quis pe-
 ritorum Artificum in se suscipere curationem mor-
 borum incurabilium, V. g. hæreditariorum, ut nativ-
 a cœcitas, surditas, gibbositas, amentia, lepra, li-
 thiasis, articulorum dolores, defectus membrorum,
 morbi divini, hectica senectutis, marasmus torridus,
 consummatus Ascites, arthritis nodosa, phthisis, ul-
 ceratus cancer, convulsio ex inanitione, sphacelus
 sunt. Ab his Medicus famæ & artis gloriae si confu-
 lat, merito abstinebit, alias ignominiam pro gloria
 reportabit. Et varias obtrectationes que foro in me-
 dico quotidie occurrent pro præmio accipiet. Vid.
 Zacut. Intr. ad Pr. c. 16. idem, Rod. à Castr. Med. Pol.
 L. 13. c. 18. Sed hæc haec tenus. Non fert nostra in-
 tentio,

tentio, latius hic evagari, unde potius vela nostra
contrahimus, & convertimus nos ad Tractationem
FEBRIS M1LIARIS quam brevissimis perlustra-
re conabimur: Veritatem in quantum intellectus no-
ster permittit sectemur. Et vulgo abstinebimus, ne
præfens labor videatur operam & oleum perdidisse;
Probe scimus effatum Ciceronis quod veritas sit moi-
lestia: siquidem ex ea nascitur odium; hujus salus de-
speranda est, cujus aures clausæ, veritati sunt, ut ab
amico verum audire nequeat, hi homines sunt, ut
vulgus qui ex veritate pauca, ex opinione multa æ-
stimat: Ceterum rogamus DE U M T. O. M. ut huic
nostro cœpto clementissime benedicere velit, ut in-
de præter veritatem, etiam utilitas aliqua ad artis no-
stræ commodum, redundet.

§. I.

DE febre miliari acturus brevitatis causa, quid
febris sit, & quod sub miliari exanthemata,
modernorum purpura, Franc. pourpre, Ger-
manis bene vel male, & ex qualicunque de-
num coloris asperitatisque similitudine, det-
ta, præsuppono; neque ea in universum omnia excutiam,
quaæ de ejus antiquitate, vel nova origine; de cognatione
cum papulis, ecchymatibus herpete miliari, pustulisque e-
rysipelaceis; & de aetiologia in universum disputari possunt;
cum satis hodie constet, quale sit illud exanthema, quod
sub nomine purpura venit. Sed ea potissimum persequar;
quaæ proprius ad hujus causalem differentiam & febris con-

junctæ indolem ac utriusque tractionem therapevticam per-
tinere videbuntur.

§. II.

Quare præmonendum esse duco, de febre quidem
in genere, quod sub hoc nomine non solum perfectæ, febres
typicæ, sed etiam imperfectæ, febriles commotiones po-
tius, quam febres, venire soleant. Et in specie, quod fe-
bris nostra miliaris genuina ad imperfectas has febriles com-
motiones pertineat, quamvis etiam aliæ febres typicæ, per
accidens, vel pure symptomaticæ, vel quoque salutariter,
miliares fieri seu purpuram excludere possint. De hac ve-
ro & exanthemate miliari præmoneo, quod alia quasi fa-
norum sit, alia morbida, & genuina, alia vero sympto-
matica.

§. III.

Sanis etiam, cholericis, & de horum temperamen-
to participantibus, aliquam saltē bilis Veterum copiam
alentibus, ceteroquin sanis, sub æstuoso humorum orga-
nismo simplici, sine febre & febrili commotione, purpuram
evenire, certum est; Aliis quidem & paucis quibusdam
ordinarie, mensibus æstivis fere quotannis: Aliis vero,
iusque etiam pluribus, extraordinarie, & tunc demum,
quando ipsorum humores ~~ad~~ ^{ad} ~~ea~~ ^{ea} ~~ea~~ ^{ea} ~~ea~~ simul & semel,
orgasmo æstuoso exagitantur. Frequens prioribus annis,
& plurimis sanis molesta talis fuit purpura, cum post dies
caniculares, satis frigide transactos, subito, tempestas fer-
vidissima exoriretur.

§. IV.

Parum ab hac abeat, nec nisi aliqua materialis cau-
sæ, & status praesentis, differentia, distat mitior illa, cer-
tis familis velut haereditaria, vel locis quibusdam, fere
endemia, aut sane frequentissima, puerarum purpura
nata, & hinc propagata, quantum iusta suspicione licet asse-
qui, ex familiari, aut populari, consueta tractatione illarum
circa

(7)

circa regimen & medicationem, nimis calida, qua in tanto aestuoso rem orgasmum adducuntur quanto magis humores accumulati & spissiusculi, per labores partus valde anxios praegressos, ad eam concipiendam sunt dispositi. Si quae alia adhuc causa desideretur, mallem potius, aquarum, & aeris, ex situ urbium, inquinamenta incusare, quam haereditatem ex confanguinitate transmarinam, alle-

gare.

§. V.

Cum vero neque valerudo puerarum paulisper fabefactata, neque uteri conditio, cuius ratione quidam illas vulneratis aequiparare solent, nec etiam orgasmus humorum aestuosus ille, sub quo exanthema miliare excluditur, ad statum p. n. pertineant, cum non omnes puerperae aegrotent, nec omnes purpuratae febriliter aegrotent; ideo nec hanc quam modo diximus, illarum purpuram morbosum esse, facile concluditur. De periculosa autem & maligna purpura, cum febre puerarum putrida, aut acuta, alter sentio, & dicam inferius.

§. VI.

Morbidam & praeter naturalem purpuram voco, que cum febre nostra miliari hinc dicta conjuncta, aut cum aliis febribus complicata est, eamque duplice facio, aliam legitimam, simplicem & genuinam quae à simplici propriâ que sua causa dependet; aliam vero spuriam complicatam, & symptomaticam, quea non à suis sed aliorum morborum febriumque causis materialibus, in similitudinem propriæ illius causæ alteratis, aut corruptis indirecte & consecutive inducitur. Symptomaticam cum hanc dico-loquor cum Veteribus, abstrahendo à famoso illo significatu, quo symptomaticæ morbis supervenire dicuntur, ea solum, quibus morbus & æger nihil sublevatur.

§. VII.

§. VII. Legitima purpura illa est, quæ febrem nostram miserem infra §. 22. descriptam, constituit, & ratione frequentia in sporadicam aut epidemicam; ratione indolis vero in benignam aut malignam, gravioribus aut funestis symptomatibus stipatam dispefecitur. Cum ea diversitate, ut neque omnis sporadica sit benigna, neque omnis epidemica, maligna, quam indolis differentiam non solum temporum anni constitutio, sed & ærorum reliqua valetudo, regimen etiam & medicatio, variant, atque ita dispensant, ut in sparsim incidente purpura, quidam inde graviter & maligne satis decumbant; Aliqui etiam in epidemica fatigantur, & benigne habeantur, & absque gravioribus symptomatibus, imo & nonnulli, cum oęs ad parum vel nihil turbata, dimittantur.

§. VIII.

Spuria ante dicta purpura, eas præcipue febres comitantur, aut sequitur, quæ vel vere tales, vel ratione indolis inflammatoriae, acuta nempe Veterum sunt, quæ à Viscerum, latioris ambitus & copiosioris inundationis, seu multo sanguine perfusorum, inflammatione dependent, & foventur; Itemque exanthematicas reliquias petechiale & variolaceam, & has quidem non solum regimine & medicatione impetuosis impulsas; Sed etiam cum inflammatione interna, petechiis & variolis interna occupantibus conjunctas. Videas enim externas quoque inflammations subinde colore, & miliari exanthemate, purpurascere quasi.

§. IX.

Cum ceteris exanthematicis simul, & una, conjuncta purpura periculosa semper est, & periculissima, quæ loco petechiarum, eximia febris malignitate se latere significantium, tandem prorumpit; pessima vero, & ut plurimum funesta, in acutis febribus & viscerum profundioribus gan-

(9)

gangrenosisque inflammationibus, ultimo conatu protrusa.
Uti contra salutare est, si petechias apparentes nihil vero
ægrum sublevantes, sequatur purpura: Bonum etiam, si le-
vior vel mitigata interna inflamatio, per felicem metasta-
sin, desinat in purpuram; & optimum, si quando inflam-
matio interna, in primo sui initio tempestive discussa, simi-
liter foras procedat, cum succedente etiam aliquando pur-
pura.

§. X.

Digna hæc sunt, quæ diligenter attendantur, cum
sinistre intellecta fallere possint, sefellerintque medicam
diagnosin, prognosin, atque therapiam, adeo, ut viso v. g.
in acutis valde febris, miliari exanthemate, purpuram
delituisse, & critice jam evenisse credentis, meliora spe-
rent, atque deinceps hujus potissimum expulsioni intenti, fon-
tem mali negligant, & ad aliena omnia delabantur medici,
aut saltim, cum vita ægri consulere non possint, neque justa
prognosi famæ sua prospicient. Pro quibus evolvendis,
firmandoque vero judicio medico, pauca quædam profe-
ram, qualicunque mea, & fide digna probataque aliorum
experientia fundata.

§. XI.

De Purpura, cum petechiis una efflorescente, per-
iculo loquitur Illustris Stahlius in Probl. Pract. pro Feb. Par-
thol. de exanthematicis §. 35. De eadem Consult. D. D. Al-
berti Disputatione de purpura cum febre complicata habi-
ta. De Purpura loco petechiarum latentium, tandem e-
rumpente summo periculo testabantur bini milites, ex fe-
bre maligna petechizante gravissime decumbentes. his, sub
justa expectatione petechiarum, die duodecimo, tam co-
piosa purpura alba, imo albissima eveniebat, ut ternis pu-
tulis vicinis quartam interponere non licuerit, summo cum
vitæ periculo; Quod alter ægerime superavit. Alter ve-

B

ro

go' sibi lethale expertus est. Facta hujus sectione, intestina, hinc inde spithamam longis inflammationibus occupata, binis etiam in locis semicorrupta, livida, mollia & tabida visa sunt. Qualia etiam in multis aliis, ex febre petechiali maligna tunc in castris epidemica demortuis per sectionem apparuisse, ex autem relatione compcri.

§. XII.

Exemplum purpuræ peripneumoniae fatali supervenientis, præbuit, non adeo pridem, Vir Generosissimus, habitus corporis athletici & succi pleni, gravissima peripneumonia prehensus, cui in statu morbi, denso agmine, purpura in pectori toto, summisque brachiiis, copiosissime tamen in latere pectoris dextro, erupit. Expectabatur uberior ejus proventus etiam in reliquo corpore, per molimina quoque diaphoretica; sed, ægro paulo post quasi suffocato: Frustra aperto cadavere, uterque pulmonum lobus inflammatus apparuit, dextertam valde, tamque profunde, ut totus sanguine obscuro, suffusus quasi videretur, & vere gangrena corruptus.

§. XIII.

Aliam historiam nobis ex sua observatione communicavit prælaudatus Consultiss. Decan. D. D. Alberti. De Viro Peripneumonia correpto eademque optime superata, subito in purpuram milarem delapsò, subl. qua laxius & negligentius æstimata una cum impatienti regimine & frigidorum potuum ingestione tandem demortuo.

§. XIV.

Quod tamen etiam salutariter purpuræ eveniat in petechiali febre, experientissime notavit Illust. Stahlius loco citato numero 33. verbis, si apparitionem & duratio-

nem, Petechiarum, nullum omnino levamen sequatur,,
at nulla tamen sensibilis deterioratio comitetur, Purpu „
ram albam succelluram expectandam esse; Et nro. 36,,
Purpura alba post Petechias; si aliquatenus copiose eru-„
pit, omnia tranquilliora & sensim euphoriam sensibilem,,
consequi Inflammatione scilicet interaneorum, per pe-„
techiarum maturam exclusionem, bona ex parte, praoccu-„
pata, &, leviori tamen subsecuta feliciter discussa, atque fa-„
luti metafasi ad cutem deposita, sub sequente hinc pur-„
pura.

§. XV.

Pari felicitate contingit subinde in aliis febris a-
cutis, ut interne inflammatione extorsum versa, formata-
que in cute erysipelate cum purpura, periculo eximatur æger.
Laborabat nuper admodum puer sexennis pleuritide pe-
ripnevmatode, cum febre acuta; Quarto die accedebat
expectoratio pauca & remorata, continuabat febris in eo-
dem tenore usque ad septimum, quo finito erumperet
purpura in pectore copiosa, cum euphoria sensibili febris-
que cessatione. Fœmina XL. annorum, phlegmatico san-
guinea jurgiis provocata, tandem in eam effusius erumpit
post prandium; patitur hinc omnia febris *nauoádeos*, sym-
promata stomachicis ab initio parumper mitigata, protra-
cta tamen usque in tertiam septimanam, in qua sponte sua,
sumit purgans, à quo omnia fiunt deteriora, cum summa
anxietate, & debilitate insecuta, allatis roborantibus cum
stomachicis temperatis, simul discutientibus, erumpit pur-
pura, cum erysipelatode de inflammatione in pectore; mox
redit vitæ spes, appetitus, alacritas, robur, & sanitas opí-
nione citius Vide quoque Floresti Observ. 22. L. V. de fe-
bre horrida cum erysipelate & herpete miliarie (purpura)
tandem protrusa.

B 2 §. XVI.

Optandum esset, ut, quod rarissime contingit, atamen eveniret, internaque inflammatio, cujuscunque visceris, dum radices agere tentat, in ortu suo, elocari, & expelli posset in cutem, posse hoc fieri, si mature cognoscatur & suscipiatur, probabit foemina, ex annua menstrui obstructione valetudinaria; haec sub vesperam vehementi ira excanduit, & superingesta intrita panis ex cerevisia cum sacharo post medianam noctem tam anxia, & sub algoribus interpolatis, valde aestuosa cardialgia fuit correpta, ut intoxiciata se crederet. Vocatus mane Medicus inflammationem Ventriculi cum febre cauo in fieri cognoscens, aptum praebet remedium temperans & discutiens, tam opportune, ut ista inflammatione, cum mox insequente purpura, impeditus externum transposita, inter meditationes mortis subito convalesceret ægra.

Quæ putridis puerperarum febris acutis supervenit purpura, gravior altera, alba, & summe periculosa, vulgi quoque judicio, ut plurimum funesta, quod etiam inflammationem uteri, vel intestinorum quoque, pro causa fundamentali habeat, probabile, &, pro re nata, certum est ex hujus inflammationis majori frequentia, quam vulgo creditur; Ex signis ejus talem febrem frequenter comitantibus; Ex conditione uteri pro ea concilianda faciliore; Itemque ex origine febris frequenti à lochiis retentis, & ex hujus acuta indole summoque periculo.

Ethæc quidem haçenus de purpura in dictis febribus, sponte natura, citra vehementiorem humorum articialem impulsu, ex generaliter bona, quandoque etiam specialiter falutari, ecclisi, proveniente qualem in dictis aliisque febris putridis, pure quoque symptomaticæ, per nimis aestuosum humorum impulsu absque

que inflammatione intus genita, provocari etiam posse, nullus dubito.

§. XIX.

Ceterum distingui purpuram in rubram & albam, notum est. Illa majorem habet cutis rubedinem, cum asperitate in minimas pustulas partim transeunte; Quae pustulæ, tum magnitudine, tum aliquali flavedine sanie se mina milii propius referunt. Alba vero vix notabilem cutis, paululum inflatae, rubedinem ostendit, imo quandoque nullam cum flavedine pustularum, longe minori & fugitiva quasi, aut pellucida plane, limpida & aquosa earum materia; Quales in cute semper albissima fuerunt in dictis §. n. militibus. Rara tam alba est purpura, & albæ nomen præ altera illa pustulari minus rubra minusque flavescente mereretur. Cum tamen hoc non minus, licet rarius occurrat in praxi, quam vere rubra, cum insigni cutis & pustularum copiosarum cutis asperitatem notabilem inferentium, rubedine, pustularum vero saniosarum intercurrentium raritate. Non inconcinne purpura trifariam distinguatur, in rubram nempe, modo dictam; in subflavescensem, cum minore & velut erysipelatode cutis rubedinæ, pustularumque copia & flavedine, atque in albam, cum cutis albedinæ, vix stigmatibus minimis quibusdam, pustularum initia rubris, distincta, & cum harum pelluciditate limpida.

§. XX.

Durat tuberculorum & pustularum elevatio per paucos dies, factaque earum exsiccatione vel perruptione cutis in junioribus ac tenerioribus subjectis excoriatur leviter; In adultis vero & robustioribus furfuracea desquamation succedit. nihilominus, ubi aliæ post alias succrescent, uti in sanis, quibus purpura quotannis ordinarie ferre est, & in valetudinariis duos tresque menses perdurasse

(14)

visa saepe est purpura. Hæc de exanthemate miliaris; Unde de febre conjuncta facilius erit judicium.

§. XXI.

Sicuti autem sanorum purpura, absque omni commotione febrili sub dictis §. V. circumstantiis provenit; Ita febris miliaris, vel potius febrilis commotio sub qua purpura legitima, tam sporadica, quam epidemica, ordinarie excluditur; tam mitis quandoque est, ut, non secus ac interdum in variolis, vix sensibilem alterationem afferat, neque impedit orthostadiam; In aliis vero vehementior est, & decumbendi necessitatem afferat; Videlicet prout reliqua valetudinis, plethorae, cacochymiae, cruditatum in primis viis, aliarumque caularum morbidarum conditiones eam variant & exasperant.

§. XXII.

In se, & sibi relicta febris miliaris legitima benigna semper est, & imperfecta, sive potius febrilis commotio, quæ quamvis typum continua presserat, non tamen eum per statas exacerbationes & remissions exhibet; Nec tempora morborum, in coctione & ecclisiæ materiæ, observat; Neque cerum hic decursus periodum obtinet; unde nec semper cum horripilatione (sub congestione humorum preparatorio secretoria) sensibili invadit, & multis, etiam in epidemica purpura, primum mali initium efflorescentia miliaris est; Paucis procrastinatur, rarissime in tertium vel quartum diem differunt. Quæ vero purpuram tardius excludit, & typum periodumque acutæ exprimit, ea legitima non est, sed alia vel maligna & catarrhalis, (in quas etiam latentibus harum causis miliaris febricula in actum deducit, transformari potest) vel acuta inflammatoria; Quibus interdum purpura, vel per subsidiariam crisin, vel metastaticam ecclisiæ, utramque salutarem, in genere; Vel pure symptomaticæ supervenit, ceu dictum est antea.

§. XXIII.

Hicce febris remotis, febris nostra miliaris legitima nihil est aliud, quam febrilis commotio juxta conditionem subjectorum, materie copiam & aliarum causarum concursum, cum vel fine horripilatione, per pulsum plus minus celerem & frequentem, pro materia erysipelatodes, inque pustulas abeuntis excretione, a natura suscepta, & adeo usque uberiorem illarum exclusionem, continuata; potest tamen etiam transire in febres perfectas, maxime sub constitutione epidemica, & in puerperis, atque ita maligna fieri, per aliarum causarum concursum, vel etiam per errores in diæta, regimine & medicatione commissos.

§. X X I V.

Miliarem hanc dicere placuit potius, quam purpuram, quia vox hæc ambigua, & Veteribus petechiale significat; Deinde, ne hanc, & Sydenhami scarlatinam, erysipelaceæque febris initia, operosis distinguere necessum foret; Denique quia sub febris miliaris nomine, ea facile intelligatur hodie, quæ exanthemata miliaria conjuncta habet. Qualia, licet etiam sint quæ herpetem miliarem constituant; hæc tamen sine omni febre efflorescunt, atque herpes miliaris veterum, sub febre proveniens, pro nostrarer Purpura habenda est, quæ ayorum memoria sub illius nomine quoque latuit.

§. X X V.

Materialem, exanthematum febrisque miliaris causam fagacioribus indagandam relinquo, ex vitalis humorum fermentationis, resolutorio-combinatoria, legibus evolventiam, & Zymotechnizis principiis illustrandam. Mea quidem sententia hæc non alia est, quam bilis Veterum humoralis, magis attenuata, quæ, quousque humoribus reliquis interfluit, non male sub sanguinis semiresoluti notione concipitur, & quæ, excussis ulterius particulis subtilioribus qualiter spirituosis & halituosis, oleofamagis, in bilem excrementum titiam.

titiam sequestratur. Ast si quando bilis ista sub concitata spumescientis fervidique sanguinis circulatione , mensibus æstivis , maxime post tempestatem frigidiusculam subito solis æstu fervidis , copiosius generatur , quam ut sufficienter per hepar sequestrari possit , hinc & attenuatur magis ; Tunc vel sub orgasmo humorum simplici in cutem impingitur , vel , ne interna oriantur incendia . (cum sit indolis erysipelatodes.) sub commotione febrili , hujusque prima horripilatione , si præcidat , ex internis visceribus eluitur sub æstu vero continuante ad cutem deponitur magis magisque & ibi hærens , efficacia inflammatoria , tuberculosa rubram morbillosam quasi suppatoria vero accidente sanioso pustulosam veluti variolaceam , purpuram constituit.

§. XXVI.

Non adeo dissimilis , licet pernicioſa magis biliosa collectio evenit quoque subinde in aliis febris putridis malignis & ecthymaticis , atque in acutis inflammatoriis tribus potissimum modis primo , si humores in fermentatione , plus minus , putredinosa constituti , vehementius impellantur . Secundo quando isti diuturnitate febris putridæ lenioris liberalius in colliquamentum , semiresoluti sanguinis æmulum , & magna biliosum fatiscunt vel etiam & tertio , quando sanguis in viscerum inflammatione subsistens & circum circa stagnans non tam ad fluxilitatem resumendam , quam ad mixtionis quandam resolutionem dissolvitur , & in similitudinem bilis humoralis attenuatae corruptitur , hinc vero discussus , ad cutem transponitur , & postea omni varia exanthemata miliaria provocantur . Cum hac tamen semi-resoluti sanguinis biliosa humorali , erysipelatode , materia , non adeo convenient illa , quæ cum omnigena cutis albedine , & pustularum aquositate pellucida , albissimam constituit purpuram ; Sed hanc potius lymphæ cum bile ista valde attenuata , sub humorum putredine ichorescenti deberi videatur .

tur. Verum hæc sunt altioris indaginis, aliisque clarius en-
danda.

§. XXVII.

Progedior ego ad Tractationem febris miliaris, Therapevticam, quam brevibus expediam, cum genuina tam operosam non requirat; Symptomaticam vero si digne velimus pertractare, variarum febrium therapias, hoc transcribere necessum foret; Et quid de illa judicandum agendumque sit, ex dictis dicendiisque facile appareat. Quare nec de quasi sanorum purpura plura afferam, præter momentum quod talis omnino detur. Quæ etiam multa medicatione non indiget, si convenienti regimine & diæta toleratur. Si quid tamen remediorum urgeant tales purpura, temperantia, refrigerantia, nitrofa, parum acidulata pro sanguinis diuretica & laxantia, utraque leniora, conveniunt. Sicuti præservative iis, quibus purpura consuetæ est, conducere poterit tempestiva V. S. cum subuncto v.g. vino medicato, ex sanguinem depurantibus, seu blande refolventibus, hepaticis, diureticis laxantibus & purgantibus, non tam vehementissimis, & interposito abstergente remedio, fale epsom. Tartaro vitriolato bene preparato, nitro, pulv. absorbente Stahlian. pulv. hepatic. Dreidens. aut bezoard. nostræ compositionis.

§. XXVIII.

Et licet puerere quedam, pro præsenti statu sanæ omnino, ex consueto regimine calidiore, aut dispositione familiari, purpuram incurvant, cum tamen ad varias alterationes subeundas sensibiles admodum facilesque sint, habentque humores quadantenus vitiatos, & pleræque sub lactis proventum febrile quid pati soleant, cautius omnino habendæ sunt, & prospicendum ipsis de convenienti regimine, atque leni medicatione, ne purpura retrocedat, neve augeatur nimio æstu, aut per lochia retenta, alvumque diutius obstipatam; Ne tunc per dolores post partum, &

C

orga-

orgasmum humorum, febricula accedit, & ne, occasione lactea, putrida febris eveniat. Plerisque hisce nominibus commendatissime sunt Pilulæ Stahlianæ, auro contra carius in puerarum affectibus habendæ, interposito prudenti usu temperantium cum paucō nitro, pro orgasmō moderando, effent: pimpinellæ albæ, & millefolii, pro doloribus mitigandis effent: scordii, cardui benedicti: alexipharmac. pro diaphoresi promovenda &c.

§. X X I X.

In febre miliari, seu purpura legitima cum febrili commotione, respiciendum est partim ad materiam partim ad febrem; Illa sui evacuationem & temperationem indicat. Evacuatio super diaphoresin, diuresin, & laxationem, ubique modestam & minus astutuam. Ista materia biliosa humoralis attenuata derivatur ad cutem; Illa cum urina evanquuntur biliofa & febrilia apophasmata subtiliora, huc vero bilis humoralis, adhuc sincera magis, dicitur ad sui sequestrationem per hepar. Pro fervore igneo temperando conducunt diluentia, glutinostate quadam moderata, simul inviscantia; porro præcipitantia, seu absorbentia in moderato acido prius soluto, & denique salia media enixa cum nitrosis. Quantum ad febrem, cum haec sibi relista, solummodo in commotione febrili subsistat, nec maligna sit, non adeo solet excedere, nec tam gravibus symptomatibus stipari, ut sui moderationem, aut alias reflexiones postulet, nisi per concursum plethora, vitiorum in primis viis, & cacozytiae varite, depravetur; aut, sub constitutione potissimum epidemica, in malignam vel catarrhalem transformetur.

§. X X X.

Commendamus autem pro hisce indicationibus remedia temperata, & talia, quæ pluribus illis satisfaciunt, Dia-phoretica nempe fixiora, Corn. Cerv. Ust. illud & unicor-nu fossil. C. C. philosoph. præparatum, antimon. dia-phoret-bezo-

bezoart. mineral. flor. sulphuris lap. bezoar. orient. & occident. interposita quandoque mixtur; simpl: & effent: scordii, alexipharmac. Si impulsu quodam opus est. Diuretica in primis salina medi generis & nitrosa. Laxantia, (præter clysmatica) leniora, rhabarbarina, cassiam, manna: pilulas Stahlianas, Becher: genuinas, si haberi possunt, polychrestas, extracta fumar. centaurii minoris & pro stimulo; panchymagog. Croll. Diluentia, non spirituosa nec tamen simpliciter aquosa, nisi interposita, sed quadantenus simul invictantia decocta avenacea, cum scorzonera, cornu cervi, rasur. sicibus &c. Præcipitantia teneriora oſtracoderma in acido soluta, lap. cancer. citrat. tartarisat: solutionem eorum cum succo citri aquis diaſpnoicis, & syrupo aliquo, pro frigerantia saporis. Pro æſtu & orgasmo nimio temperando reſrigerantia ſalina medi generis, ut arcan. duplicit. Nitratabulat antimoniat. cum precipitantibus illis & absorben- tibus quandoque etiam in magis ſanguineis acidulata, jula- piis & potionibus intermixta. Tincturam flor. & cordial. Papav. rhead. aquilegiae, Elixir. Vitriol. Mynſicht clyſt. antimon. ſpir. sulphuris per campanam.

§. XXXI.

Quod si febris miliaris per dictas modo causas depra-
vetur, vel transformetur, queritur, primum, num V. S. vomi-
toria & purgantia præmittenda aut interpolanda sint? Re-
pondeo paucis: Si purpura incidat in corpus exquiste
plethoricum, cum ſummo & continente æſtu, inflatione
faciei, rubore hujus intenſo & oculorum aliquo, dolore
capitis pulsatili, haemorrhagiis narium emicantibus; Lice-
bit etiam V. S. in primis diebus adminiftrare, subjuncto
tamen tanto ſollicitius regimine, & medicatione leni dia-
phoreticis. Er si insignis cardialgia copiam vitiorum in
primis viis acriter fermentantium, indicet, nihil impedit,
dare paſſulata, magnes. alb. Tamarind: rhabarbar, (deco-
ctum

etum hordei. Quod Hippocrates in Tr. de Victu in acutis commendavit. tenui limpidum hordeaceum magis tritum non aetui frigidum sed temperatum pro conditione ipsius. Temperamenti additis addendis diversè preparari potest. Non largiter sed medice & modice quamvis saepissimæ concedatur quo febris successu eo melius faciliteretur) quæ febrilem commotionem fovent potius quam invertunt. Quamvis acrimoniam huic præcipitandæ & temperande absorbentia, cum salibus mediis abstergentibus & nitro purificato satis egregie quoque inserviant.

§. XXXII.

Restarer, ut de febre miliari sub constitutione epidemica, in aliam, malignam vel catarrhalem transformata atque de purpura cum exanthematicis inflammatorisque acutis, & puerperam putridis febribus complicata, therapeutice quoque dicamus. Verum si cuivis febri dictæ convenientem medicationem calleamus; si individuales circumstantias decenter attendamus; Si juxta has, illam, cum therapia febris miliaris breviter adumbrata, prudenter conferamus. Difficile non erit, vel ægros apto consilio & auxilio adjuvare; Vel sibi quoque, & famæ suæ, justo iudicio & prognosi consulere.

§. XXXIII.

Quare jam finio, & DEO T. O. M. debitis gratiis perfectis, lectorem Benevolum, qua pars est humanitate rogo, ut, quæ ubiorem declarationem promerebantur, sub proposita brevitate, æqui bonique & ipse consulere velit. Quæ vero adhuc restant, in aliud Tempus si DEO ita vifum fuerit, servanda erunt.

Errata Typographica.

- P. II, §. XV. lin. 17. leg. erysipelatode inflammatione.
P. 12, §. XVIII. lin. 3. leg. impulsum.

NOBI-

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
suo DOMINO
RESPONDENTI
GUSTAVO BERNHARDO
VOLLAND,

S. P. D.
PRAESES.

Qui egregiam laudem in hac florentissima
Mularum officina hucusque TIBI per
praxin medicam comparasti, DOCTISSI-
ME VOLLAND; eruditioris nunc
quodam specimine, quantos in medicinæ studijs
feceris progressus, demonstras: Idque, mea qui-
dem sententia, rectissime. Illorum enim morem,
qui ita temporis recte a se collocati rationem, Pa-
triæ, Parentibus, studiorumque suorum promo-
toribus, reddere gestiunt, minime reprehenden-
dum existimo. Quæ quum ita sint, intelligent
G. 3. quo-

quoque ex præsentí industriæ tuae specimine;
qui in Patria tua, Musarum Fautores & Prote-
ctores sunt, quid de te sibi polliceri queant.
Nec dubito, quin te aliquando eodem excipi-
ant Favore, idque Patriæ dignitati tribuendum
putent, ut viros in sinu gremioque suo educatos,
modestiaque ac eruditione præditos, benevolen-
tia, quæ Proceres rerum in primis decet, profe-
quantur. Ego vero Parenti tuo dn. dr. JO-
JON. VOLLAND, MEDIC PRACT. ac
PHYSICO PROVINCIALI SCHWARZBURGI-
CO MERITISSIMO HONORATISSIMO QVE
quem DEUS quam diutissime servet, de tali fi-
lio gratulor, TIBIQUE porro exoptatos studio-
rum rerumque medicarum successus adprecor,
quo metath feliciter attingere valeas, & inde olim
patria ingens emolumentum accipiat. Vale.

Dab. Halæ Magd. ipsi Kal. Sept.

CIO ID CC XXII.

Cum

C

Cum paulum distet virtus celata sepulta;
Desidiæ, merito gestis ostendere partam
Artis notitiam, rabidos quæ tollere morbos,
Edocet egregie. Rosum te quippe recordor,
Dentibus invidiæ, semper quæ ferre recusat,
Esse parem socii fortunam; tu tamen alto,
Vultu contemnis quotquot machinatur iniqua,
Turba minas, rectaque via tua nomina doctis,
Inseruisse soles. Sane laudabile factum!
Gratulor ergo TIBI de re feliciter acta:
Incepitisque tuis rectis Deus annuat almas,
Talis ut evadas, qualem expectare parentum
Spes potuit, qualem medicorum præparat ordo,
Inclytus, ut cures cito jucundo & quoque tuto.

Hec Nobilissimo atque Doctissimo Dr.
VOLLANDO, sinceri affectus ergo
scribere voluit

J. S. KNAUBEL,
L. L. C.

 Er Wiz den die Natur Mein Freund, in dich
gelegt,
Des Vaters Bild der Dich so klug erzogen,
Das was du mit der Mutter-Milch gesogen,
Der Kleiß der deinen Geist noch immer höher trägt,
Die Wissenschaft die Du erlanget,

Dev

Die Klugheit welche man in Deinen Umgang spührt,
Der reinen Ehesucht trieb die Dich zum Vindus führst,
Und was noch sonst in Dir vor Tugend prangest:
Versprechen, da Du nun auf den Catheder steigest
Und durch Gelehrte und Ruhm belobten Streit
Diss insgesamt in einem Spiegel zeigest,
Dass wenn noch die Erfahreneheit
Sich mit den andern wird verbinden,
So werde man in dieser Gaben-Circk.
Den Æsculap von unsren Zeiten finden.

Hierdurch gratulirt zu dem ruhmvürdigen Vorhaben und empfiehlt sich fernerer Gewogenheit des Herrn Respondentis aufrichtigster Freund und Diener

Joh. Fr. Kornemann.



ULB Halle
005 611 652

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



G. D. B. V.
1782. 10
9

DISSE^RTAT^IO MEDICA,
DE
FEBRE MILIARI
QVAE
Der S^riesel,
DICITUR;
QVAM
DEO PROPITIO
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
EX CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE,
PRAESIDE
DN. JOHANNE CHRISTOPHORO
DEUTSCHBEIN,
MEDICINAE DOCT. ET PRACTICO,
PATRONO AC HOSPITE SUO AETERNUM COLENDO,
PLACIDO PHILIATRORUM
EXAMINI SUBMITTIT,
GUSTAVUS BERNHARDUS VOLAND,
GREUSSENA THUR.
AD DIEM SEPT. A. O. R. MDCCXXII.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

